

**Dissertatione inaugurali medica morbos acutos veterum / ... submittit
Daniel Henning Bolten.**

Contributors

Bolten, Daniel Henning.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Hermundur : Literis Christ. Henckelii, [1709]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hgz7zbkg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FELICITANTE ALTISSIMO
DISSERTATIONE INAUGURALI MEDICA
**MORBOS ACU-
TOS VETERUM,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,
DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE.
CONSENSU, AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
PRÆSIDE

VIRO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO
DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBL. ORDIN. A-
CADEM. NAT. CUR. COLLEG. LONGE DIGNISSIMO
p. t. FACULTATIS MEDICÆ DECANO
SPECTABILI.

*PROMOTORE Patrono ac Præceptore Suo submisso animi cultu
devenerando.*

**PRO GRADU SUMMISQUE IN UTRAQUE ME-
DICINA,**

Honoribus Insignibus & Privilegiis DOCTORALIBUS
Majorum more legitimè capeffendis
IN REGIA HALLENSIUM FRIDERICIANA
Publico Eruditorum examini

*In Auditorio Majori Hor. ante & pomerid.
submittit.*

DANIEL HENNING BOLTEN.

Gedano-Prussus.

Ad d. XXVI. Jan. A. O. R. M. DCCIX.

DANIEL HENNING BOLLEN

EX REGIA HALLERIANA LUDERICIANA

DOCTOR ALIBUS

DICINA

SO GRADU SUMMISSE IN PPRIOVE ME

PRO NOTORE

SPECTABILI

REFACTUS ATIS MEDICE BEGANO

AD HUIUSMODI FROE PERI ORDIN A

DM GEORGIO FR NESTO STAHN

VIRO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO

RESEISE

CONSERVATUM AMPLIUS FACULTATE NOTRE

DUS ATUS NOSTRUS CUBERANTORE

DENBURGICO NELLIOU

PRINCIPIS BORUSSIE MARCHIONIS BRAN

MR PHILIPPO WILHELMO

STREPTISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO

LECTORIS MAGNIFICENTISSIMO

TOS VETERUM

MORBOS ACU

DISTATIONE IN OMNIBUS MEDICA

PELLICULA ALBISIMO



I. N. I.

PROOEMIUM.



Uemadmodum maximè laudanda est, & gratâ commemoratione meritò recolenda, illorū industria, qui ante nos, à longâ etiam serie annorum, quicquam laude digni, aut ad commune generis humani commodum inserviens, perquisiverunt; adeò etiam, ut licet illud non ad summam sui perfectionem perduxerint, tamen & materiam suppeditaverint, & viam monstraverint, imò animum ipsum excitaverint aliis, ad prosequendum eadem vestigia, ut, quod fortassis unius hominis vel observationem, vel contemplationem non penitus subibat, id iunctis consiliis & auxiliis denique exasciarent: Ita est tamen meritò cavendum, ne inani quadam superstitione, quicquid antecessores nostri ita egerunt, adeò simpliciter pro maximè perfecto, & abundè elaborato, venditemus, ut solis & unis ipsorum vestigiis inhærentes, magis nuda illorum placita, quam rerum ipsarum veritatem, sectemur. Et hoc equidem tantò magis in ejusmodi rebus, quæ hodieque in mediò positæ, tam ocularem inspectionem, quam rationalem contemplationem facillè subeunt, & vel propriam circumspectorum a-

animorum sagacitatem fallere adeò non possunt, ut, licet alii vel planè nihil de his rebus innuissent, non magis deprehendere easdem, quam comprehendere, nihilò minus evenire possit. Enim vero, quod dico, deprehendere, & res ut revera existunt, observare, neminem puto fore, quin tam facilè hodie obtingere possit, agnoscat, quam vel ab ipsis mundi incunabulis. Comprehendere vero, causas, inquam, nexus mutuos, & respectus, judiciosâ comparatione assequi, adeò propioribus temporibus, ab antiquitate quasi repositum atque reservatum videtur, ut inde nulla major committi possit inconsiderantia, quam si plerarumque rerum corporearum mutuos, quos causales vocant, nexus & respectus, apud antiquos anxie quærere, nedum illis solis, ut exquisitis & perfectis, inhærere, in animum inducamus. Certè in Medicinà nostrâ HIPPOCRATES, immortalem meritis est laudem, quod monumenta, majorum maxime suorum, quin etiam propriæ observationis, ita collegerit atque consignaverit, ut quæ de morbis eorumque Phænomenis memorat, veritati maxime consentanea existere, constans sæculorum ad nos usque consensus testetur. Ab omni verò humanitate abhorrere oporteat, qui GALENO, excultæ multis modis hujusce observandi methodi, laudem denegare audeat; cum ille non solum Hippocraticarum annotationum nihil prætermiserit, neque temeraverit, sed etiam ab Hippocrate non satis solidè, aut non satis prolixè memorata benè multa, optimè suppleverit. Interim simulatque ad ratiocinationes, & causas indicandas accedunt, unde, & quamobrem, hæc talia ita eveniant, si solas remotas, generales, imo subindè tantum occasionales, excipimus, quan-

quantum passim defecerint, nemo certè est, quin facilè & liquido perspicere possit. Adeò profecto, ut etiam vel in ipsam historiam non rarissimè sese porrigat & extendat hæc aberratio, ut præoccupatione quadam contemplationis, res aliter quàm in se existat, designata, si nudæ tali auctoritati insistatur, præjudicium hinc insigne facile arripiatur, quantumlibet irritum, imo falsum. Sicut autem alibi à Dn. D. Præside (Sched. de προεξιουκρσι Hippocratis,) jam monitum est, quod I) quæ Hippocrates simpliciter Historicè retulit, vix non omnia sint vera: II) interim ille non omnia, quæ vera sunt, absolverit memorare: III) de contemplationibus autem ejus, & causarum assignationibus, maximè propiorum, adeò diversum formandum sit judicium, ut oppido pauca in hoc genere ullam considerationem mereantur: Ita è multis aliis, minimè postremi aut levioris speciminis locum, tueri potest, proposita ab Hippocrate descriptio MORBORUM ACUTORUM quam *Lib. de Rat. Vict. in acutis*, partim disertè ex antiquis historicè producit; partim, sive ex illorum mente, seu potius de suâ, ut videtur, æstimatione, aliquid addit, quod revera ingens præiudicium, & quidem rerum veritati maxime adversum, non possit non appellari: Imò verò, utitur deinde etiam passim, in plurimis scriptorum suorum locis, appellatione ipsâ ita alieniùs, ut præconceptæ suæ opinioni longè plus inhærere manifestò observetur, quam simpliciore, etiam passim solū exquisitè historicam, illarum rerum descriptionem, prosequi, imò assequi. Id, quod luculenter sese manifestat, tam in assignandis huic morborum generi verè salutaribus CRISIS: quàm econtrà, in assignandâ lethiferi effectus culpâ, dum illam FEBRIBUS, *acutorum morborum* sociis potius, quam ipsis

acutis morbis directe, imputat. Quæ res cum non potuerit, nisi varias aliàs aberrationes, imprimis in vero, tam *acutorum morborum*, quam *Febrium*, genio percipiendo, parere, ducimus certè operæ pretium, paulò attentius expendere, quid in hoc negotio veri, aut meritò dubii, imò incerti, subesse judicari possit. Elegimus propterea hanc deductionem pro Themate Dissert. Inaug. nempe **DE MORBIS ACUTIS VETERUM** disquirere, & mentem circa hos *Hippocraticæ* elocutionis, cum rerum veritate, & luculentis, certè verò satis evidentibus, rationibus, comparare.

Precamur autem Deum T. O. M. ut arduæ hujus rei veras rationes, non solum assequi, sed evolutionem etiam earum dilucidam & perspicuam, rectè exequi, clementissimè nobis largiatur.

§ I.

UT antè omnia mentem nostram, quid propriè agere suscipiamus, dilucidè & perspicuè explicemus, est institutum nostrum, de illâ acceptione appellationis **ACUTORUM MORBORUM**, verba facere, quam *Hippocrates* lib. de rat. vict. in acut. Veteribus solennem fuisse commemorat. Quo intuitu nempe minimè obstricti erimus, de *Hippocratis* ipsius, nedum posteriorum ejus sequacium, hujus nominis explicationibus, imò potius applicationibus, tanquam ex instituto, rationem reddere: Nisi in quantum ad majorem elucidationem dictæ primariæ illius, sanè primæ, acceptionis, inservire poterit. Dum autem dicimus, nos de *acceptione* nominis hujus potissimum acturos esse, excusati hòc ipsò esse possemus, à qualicunque generaliore notatione nominis ὀξύς: dum nempe solū illam nobis desumimus, quæ ipsò facto ulitata fuit *Veteribus Medicis*. Interim, si de hâc etiā re aliqua

aliqua allegare placeat, proprius hujus vocis sensus, semper infert significationem *acuti*, *acris*; per proximam vero *tropicam* interpretationem, *penetrantis* & *agilis*: per latiore vero consecutionum applicationem, exprimit hæc vox etiam communi usu apud Græcos, *vehementiam activitatis*, *promptitudinem* agendi & perficiendi, adeoque *celeritatem* efficaciam; Quarum notationum testimonia, vel è Lexicis, transcribere, non placet: sufficit autem indicare, quod in horum majoribus & locupletioribus, ipsorum luculentorum scriptorum Græcorum loca, hunc sensum confirmantia, facile reperiri possint. *Medicos* autem nostros quod attinet, testis est ipse *Hippocrates*, qui vocabulum *ὄξυς*, passim, etiam pro *prompto*, *veloci*, *citò fiente*, usurpat; & *Galenus* l. 2. de loc. affect. *ὄξυ* dici scribit, illud, quod sit *urgens*, *vehemens*, & quod nullam *intermissionem* facit: A quâ notatione etiam formatum est nomen *Paroxyismi*, nempè *exacerbationis*, evidentis, & eminentis *insultus*, imò, ut habet *Galenus* Comm. in l. 1. Aphor. 12. etiam *continui* *cujusdam morbidì status*, *pejorem partem*, à *primâ invasione ad stabilem usque & æqualem ejus vigorem*, &c. Aëtius definit, quod *Paroxyismus*, sit *partialis motus morbi*, à *remissione ad deterius*.

§. II.

Quod autem jam nostræ considerationis acceptionem attinet, exprimit illam *Hippocrates* alleg. lib. de rat. vict. in *acutis*, inquiens: *In morbis acutis, ὄξείαι νοσήματα, qui ple-rosque homines occidunt - - - Sunt autem hi, quales sic nominaverunt Veteres Pleuritidem & Peripneumoniam, & Phrenitidem, & Lethargum, & Causum: & alii morbi, qui aliquid talium habent: quorum Febres, ἐπιπαι, semper ferè continentes existentes, interimunt.*

§. III.

Hujus, sub brevitate omnino nervosâ, *Hippocrati* peculiariter familiari, sed & propemodum propria, multum certè complectentis descriptionis, meritò observandus est ve-
rus

rus, & manifestus quidem; sed tamen non nisi attendentibus, sensus. Ante omnia intra tam brevem elocutionem, *bis* nominat disertè *morbos acutos*; semel *Febres*. E quò certè manifestò dilucescit, quod non unam eandemque rem tam per *morbos* istos, quam per *Febres*, intelligi velit, aut intellectam esse indicet.

§. IV.

Deinde loquitur, si quid recti videmus, certè notanter, ἔστι τὰυτα ὀξεία, ὀκῶια ὠνόμασαν οἱ ἀρχαῖοι πλευρίτιν, ἢ περιπνευμονίην &c. Vertit *Foësius*: *sunt autem hi acuti morbi, quantum nominibus Veteres complexi sunt, Pleuritis, Peripneumonia, Phrenitis &c.* An in Græco textu scripto, ita se habuerit distinctio, definire hodie non possumus; certè verò ipse *Foësius* ita edidit, aut expresserunt ad minimum impressores *Edit. Genev. 1657.* sine illa interpunctione, quam *Foësius* suæ translationi adhibet; nempe sine inclusione intrà duo commata, *sunt verò Acuti, quales Veteres appellaverunt.* Et, licet hoc pollicem premere videri possit Interpreti, quasi hæc enunciatio cum vocabulo *Acuti* neceretur, quia nulla adsit distinctio; indicat tamen manifestò contrarium, *casus*, sub quo omnes illi morbi nominatim enumerantur, non simpliciter *Nominativus*, sed omnino *reflexivus*, quem *Grammatici Accusativum* nominant: contra omnem profectò morem justæ locutionis, si illa servetur, quæ notis illis discretivis indicatur, imprimis à *Foëzio* suppletis. Quis enim, s. *Latine* s. *Græcè*, diceret, *illi, quos Veteres Acutos vocaverunt, morbi, sunt Pleuritidem, Peripneumoniam, Phrenitidem, Lethargum, Causum.* In expedito verò est negotium, (& imprimis *Latinis* usitatum, quicunque discretivis signis utuntur, ubi plura exempla adducunt, etiam duobus punctis uti;) hōc schemate, & ita luculento sensu, *sunt verò hi Acuti τὰυτα ὀξεία illi, quales Veteres nominârunt: Pleuritidem, Peripneumoniam. &c.*

V

Ut a deò sit sensus. non quoslibet morbos, qui occidunt, aut qui cum febre occidunt, à veteribus nominatos esse Acutos: sed *morbos Acutos esse illos, quos Veteres appellârint, Pleuritidem, Peripnevmoniam &c.*

§. VI.

Quamvis autem post hos nominibus suis expressos, addat: *καὶ τὰ ἄλλα, &c.* i. e. præter hos, his nominibus à veteribus notatos esse etiam *illos morbos acutis annumerandos, qui aliquid eorum habeant, quorum Febres occidunt*: Subest tamen hîc etiam distinctionis non magis, quam potius ipsius manifestioris sensus, conspicuus dissensus, ambiguitatem, meritò extricandam, fovens. Iterum *Foësius*: *& quicumque alii morbi ad hos consequuntur, quorum febres, omninò continuæ, interficiunt,*

§. VII.

Enim verò candidè fatemur, Nos vix *Grammaticò*, minimè omnium autem *Medico*, sensu, exsculpere posse, quid hâc interpretatione intelligendum voluerit Autor. Primò enim divinarî non valemus, unde *Foësis* nascatur: qui hos morbos consequuntur: è Græcis *ἐκὸς α τῶν ἐχόμενά ἐστιν*. Quod Nos simplicissimè intelligimus, *qui aliquid horum habent*, plano certè ad omnia sensu. (Particip. Medii modi.) Deindè non capimus, quorsum Autor reflectat illud: *quorum Febres interficiunt.*

§. VIII.

Certè enim ita penitissimè deflecteret, ab omni consueto usu, seu *Hippocrati*, seu maximè Posterioribus, familiari, vocabuli *Acuti morbi*. Quid enim ex hâc interpretatione aliud conficere licet, nisi, illos etiam morbos appellandos esse *Acutos*, qui adhuc *consequantur*, sive morbos quorum Febres *interficiant*: seu ad minimum, ante-nominatos, *Pleuritidem, Phrenitid. &c.* quales, & nominatim *Pleuritidem, Peripnevmoniam, Causum*, cum aliquandò sequantur, illas *Empyema, aut Phthisis*,
B hunc

hunc, *Heſtica*, *Tabes*, aut *Hydrops*, aut utrumque: certè nec ipſe Foëſius talium quidquam *acutum* dicendum cenſuerit.

§. IX.

Planus vero maximè eſt ſenſus, ſed omninò altioris conſiderationis, ſi ad literam accipiamus: *Acuti morbi ſunt maximè illi, quos Veteres nominârunt Pleuritidem, peripnevmoniam Phrenitidem, Lethargum, Cauſum.* Imò etiam illi, qui aliquid habent, ſive de his ipſis, ſeu de ſimilibus rebus, quibus *jungi ſolitæ Febres occidunt.*

§. X.

Cum autem etiam in hac poſtremâ explicatione; difficultatem quandam objiciat immediatè ſubſequens *Hippocratis* Textus, de quo paulò poſt; ſinè Optimi Viri ullâ injuriâ, integrum nobis erit ediſſerere, quid nobis videatur, circâ totâ hanc Propositionem ab ipſo factam, contigiffe. Cenſemus itaque veriliſimile, quod bonâ quidem fide commemoraverit, *Morbos Acutos*, propriè eſſe illos, qui à *Veteribus* notati ſint nominibus *Pleuritidis &c. &c.*

§. XI.

Subire autem horû cenſum, etiam quoslibet alios, quibus aliquid *Pleuriticum, Phreniticum, Lethargicum, Cauſodes*, jungatur. Aut denique, ad *acutorum* cenſum quoque referendos eſſe, præter *nominatos* illos, alios morbos, qui aliquid tale complectantur, cui facilè, aut ordinariè, *ſuperuenientes Febres*, interficiant. Et hanc ultimam acceptionem, imò vel aſſertionem, aſſignamus *Hippocratis* imprimis ipſius Judicio; ut ſit ſenſus; *Morbos acutos*, eſſe quidem *principaliter*, imò vel ab ipſis *antiquioribus* pro talibus iudicatos, illos, quos *Veteres* indicaverint nominibus *Pleuritidis &c.* His autem, ſe *Judice*, meritò annumerari etiam alios, qui ſive de *ante-nominatis participant*, ſeu ad minimum cum illis in eo *convenient*, ut *Febres conjunctas habeant lethiferas.*

§. XII.

Hic autem certè, cuicunque tandem in acceptis, referenda

da sit, hæc *posterior* assertio de *Febribus*, aperit se tandem quasi scaturigo erroris, à quo nec alius quisquam, nec imprimis ipse *Hippocrates*, extricare sese, nedum excusare aut eximere, valet. Tribuimus autem hunc, tanto liberius ipsi *Hippocrati*, quia luce meridianâ clarius est, quod ille istum, tanquam ex professo, non solum *propagaverit*, sed variè quoque *dilataverit* atque *diduxerit*.

§. XIII.

Est hic error, quod maximè *Febres*, inter reliquas circumstantias *Acutorum morborum*, sint pessimi eventus *autores & architecti*. Nempe *πτενώδεις, lethiferae*. Ita enim disertè ait; *etiam illos morbos esse Acutos*, qui aliquid contineant seu *morborum aliorum seu rerum talium*, quibus tales *Febres* *conjugi soleant*, quæ *occidere* fuerint.

§. XIV.

Enim verò hanc potissimum esse mentem *Hippocratis*, quod inquam à *Febribus* ita *perniciosas* maximè, tanquam à *potiori*, denominari debeant *morbi Acuti*; elucescit non solum ex aliis multis scriptorum ejus locis, ubi partim *Febres* ipsas *Acutas* expresse nominat; partim *Acutis, Periodos Criticas*, partim certas *species Crisium*, assignat: *Crises* autem eminentissimè, si non absolutè propriè, (quod propemodum tota posteritas facit) *Febribus* omnino adscribit.

§. XV.

Quod autem hæc assertio *erronea* sit, monstrat statim *confusio* illa, quam *Hippocrates*, verbis, producto Principali textui immediatè subjunctis, manifestò introducit. Sunt autem hæc: *Quando enim nullum Pestilentis morbi genus commune, populariter grassatur, sed sparsi sunt morbi, & non similes: tunc à talibus (nempe modo recensitis acutis) plurimi hominum moriuntur potius, quam ab omnibus aliis morbis.*

§. XVI.

Ex hac Propositione, elucescunt duo eximia themata: quorum alterum, quam antea notavimus, *confusionis*: alterum

eximiae *Veritatis* Practicae, compos est. Illud est, quod *morbis* de quibus loquitur, *Acuti*, planè diversi sint à *Pestilentibus*. Hoc, quod à *morbis Acutis* maximè, nimio plures illorum, qui moriuntur, intereant, quam ab universis aliorum generum morbis.

§. XVII.

Cum verò hæc ipsa, quam notamus, *Confusio*, demonstrari vix, aut certè melius non possit, quam res ipsas, circa quas illa versatur, præmonstrando; postulat deductionis ordo, ut has in medium producamus. Sunt autem sequentes: 1.) usurpat *Hippocrates* ipse, vocabulum *Acuti*, tam in genere, ut etiam supra notatum, de eo, quod *celeri & brevi progressu* fit, (cujus rei, nisi ex ipsa lectione occurrant, exempla multa, ex *Oeconomia Foëssii* transcribere, operæ pretium non ducimus) 2.) *specialiter* autem, utitur illâ, de *Febrilibus* speciebus. *Posteritas* usque ad nostra tempora, non sequitur non solum *Hippocratem* in hoc ipso; adhibita etiam, tanquam majoris elucidationis gratia adhuc distinctione, quod alii sint *Acuti*, alii *Peracuti*, alii *Acutissimi*: sed etiam, quotquot *Avicennam* sequuntur, morbos etiam sine manifestâ *Febre* celeriter vitam eripere compotes, *Acutis* talibus annumerare nihil dubitant, ut *Apoplexiam*, *Synopen*, *Choleram* vehementissimam (cujus etiam Pathognomoni cum signum vulgò constituunt in absentia *Febris* &c.)

§. XVIII.

Jam verò, quantumlibet hi discreti Tribuni, in assignandis ita ordinibus, consulere videantur auctoritati *Dictatoris*, *Hippocratis*, dum *Pestilentes Febres*, quas ille hîc disertè *Morbis Acutis* contradistinguit, etiam ipsi ab hoc ordine eximunt; nempe non *Acutas*, sed *Peracutas* & *acutissimas* nominandas censentes: Nemo tamen erit sinceriorum, quin intelligat, quod omnia alia loquatur, non hîc solum, sed per omnia sua scripta *Hippocrates*, (nisi fortè hîc illic verbum aliquod, quod vulgus ait, capillis eò trahatur) nempe ubilibet *Pestem* propriæ potius Tribui accensens, quam vel ipsi *generi Acutorum*.

§. XIX.

§. XIX.

Nobis quidem satisfacit affatim, dum hoc agit; servans nempè sic satis acceptionem *Morborum Acutorum S. Inceriorum*, quales nempè in fundamentalis illo textu etiam percensuit; & quadantenus repetit *lib. de Aëre Loc. & Aq. divers.*, *Pleuritides*, inquiens, & *Peripneumoniae*, & *Causi*, & *quicunque acuti morbi reputantur, &c.* Quomodo vero cum illa portione conciliet, quam ipsum *de sua* explicatione adjecisse suspicati sumus, nempè: *quorum febres quam maxime occidant*: nos certè non æque comprehendimus. Cum enim utique etiam *Pestilens Febris*, aut, *Hippocratico* conceptu, *Febris cum Peste*, ut plurimum mortem post se trahat & pedissequam habeat, seu juxta Ejus effatum, *hæc Febris, plerosq; occidat*: quomodo ita Febres tales *Acutorum* seu juxta vulgarem acceptionem ipsas propriè *Acutas* statim subjunctis verbis *contradistingvat* Pestilentibus, sanè nullam discretionem subesse, sed intricationem, manifestum est.

§. XX.

Adjicimus non immeritò locum *L. 2. de Morb.* nempè, descriptionem *Febris Internecinae s. Lethiferæ*. Ubi, cum & antè & post, varias *Febres*, & manifestò, juxta vulgatam acceptionem, *Acutas*, recenset, à quibus homines totidem diebus, parvitæ periculum perpeti memorat, cur hanc veluti seorsim *Lethiferam*, *Φονώδεια*, nominet, nemo certè divinari possit: cum tamen neque *Pestilentem*, nec ipsam *Pestem*, intellectam voluerit. Adeoque tam hanc, quàm reliquas *Febres*, antè & post adumbratas, quarum pleræque manifestius *Acutæ*, juxta quamcunque *Hippocratis* acceptionem, existunt, utiquè à *Pestilentialibus* illis morbis, vi præcipui illius textus, segreget.

§. XXI.

Quemadmodum autem ex his omnibus, decenter consideratis, sequentia elucescunt I) quod *Hippocrates* illos præcipuè *morbos Acutorum* nomine intelligi debere declaret, quos Veteres *Pleuritidem*, *Peripneumoniam*, *Phrenitidem*,

Causam, *Lethargum*, appellarunt; II) & *his similes*; horum seu morborum seu circumstantiarum præcipuarum eorum; & imprimis *Febres* conjunctas, cum frequentissimo *funesto* eventu, multum participantes: III) ita tamen, ut *Pestilentis* schematis [λοιμωδὲως τρόπος] morbos, ab his discerni velit: Ita prudenter utique expendendum venit, quidnam tandem ex his monitis, partim *Hippocratis* & *antiquorum* menti consonum, partim, & maximè quidem, *veritati*, firmiter innixum, hinc elici & constitui debeat.

§. XXII.

Duo quidem ex his, quantum ad mentem attinet, luculenta sunt: I) quod illi nominibus propositis commemorati morbi, quasi *exemplar*, & *archetypus*, haberi debeant; ad quorum normam alii morbi judicandi sint, ad *acutorum* tribum referendi. II.) quod præcipuum *criterium* hujus attributionis, maximè in eò positum sit, quod illo modo atque more, quo isti *primicerii*, sæpè, & vix non plurimum, *vita periculum* obijciant. His addi potest III.) quod *Febrem* utique *concurrentem* habeant: cui Hippocrates propriè *lethalem* illum effectum, τὸ κτείνεω, directè assignat.

§. XXIII.

Jam, cum hodiè nemo dissentiat, quin, ad minimum *Pleuritis* & *Peripneumonia*, imò juxta plerosque omnes *Phrenitis* & *Paraphrenitis*, præcipuè nitantur, nempè *quà tales*, *Inflammatione Nobilium partium internarum*: id quod etiam de *Causo* plerique consentiunt: *Lethargo* etiam familiaris *Suppuratio Cerebri*, sine *Inflammatorio* apparatu fieri non possit: *Inflammationes* interim etiam *aliarum partium internarum*, tam *brevitate exitus* sui; ingente præterea *periculo*: & certò *comite febre* (*continuâ putridâ* veterum) cum illis disertè nominatis, planissimè conveniant: Imò talibus maximè, *inflammatoriis*, inquam, *Febribus*, semper *periculosum*, sæpè vero omnino *funestum*, exitum, homines incurrant: Manifestum hinc esse arbitramur, quod certissimò sensu, *Acutorum Morbo-*

rum nomen, genericè, signare & complecti debeat', *Febres* ab *inflammatione partium internarum, præcipuarum*, pendent-

§. XXIV.

Imò *strictius* & propriissime, ipsas *Inflammationes partium internarum præcipuarum*. Ubi nempe omnimodo exactissime expendenda utique venit illa, quam *Hippocrati* tribuendam suspicamur, assertio : 'quod *Febres* horum morborum, *lethalis* illius exitus proprii sint *Architecti*. Quam rem non utilem magis, ad expendendum quam necessariam etiam, facit, *duplex* circumstantia, ad penitissimum fundamentū, tam *Historiæ* veræ, quàm *ætiologiæ Febrium* in genere, pertinens : nempè I.) *an eventus*, tanto magis autem *effectus* ille *lethalis*, verè imputandus sit *Febribus* talibus, *directè* II.) quid de talibus, hoc verò sensu & testimonio *Hippocratis*, certissimis *Acutis*, tum etiam, juxtà ita *Acutam indolem*, aliis quibuslibet, hujus tribus *Febribus* expectandum & investigandum veniat, de *Criticis* productionibus, & imprimis (quod propriè per *strictè* dictam *Crisin* intelligitur) talium *salutaribus* effectibus.

§. XXV.

Meritò vero asseruimus, maximi ponderis esse has declarationes, ad noscendum verum *Genium*, tum *in genere*, tum *harum* propriè, *Februm*. Certè enim perversa fuerit res, his *Febribus*, & quidem in præjudicium totius *Indolis Febrilis*, imponere, quod illæ propriè *mortem*, quando illa hinc sequitur, induxerint ; si verum non fuerit : sed potius alia sit hujus eventus causa. Præter illud enim, quod ita totus velut animus & intentio subveniendi atque medicandi, non solum ad *Febrē* convertitur ; sed etiam, vel irritò, vel inauspicato conatu, ad *oppugnationem* ejus : Certè facillimum hinc fieri transitum ad negligendum, aut certè posteriore longè loco habendum (utique pessimi illius effectus mortiferi exortem) ipsum *morbū*, nempe partis *inflammationem*, manifestum hinc evadit.

§. XXVI.

Minimè verò frustrà, aut speculativam forte solùm, esse hanc considerationem confirmat affatim ipsa Experientia; Ubi, alibi quibuscunque *anti-Febrilibus* subsidiis sanè *Febris quatenus Febris, generalius*, destinatis, potissimum omnis spes *salutaris* opis superstruitur: alibi frustrà, variæ post se *Crises*, tanquam iusto atque debito eventu, expectantur: & tales imprimis, quæ talismodi morbi conditioni non possint convenire: alibi, quæ etiam eveniunt, qualiacunque indicia *Critica*, frustrà arripiuntur in momento, pro *certis salutaribus*: si non nullâ planè, tamen minimâ culpâ *Hippocratis*, qui nempe passim quidem, in ejusmodi constitutionibus, aliquid tale emicare solere, memoravit: minimè vero declaravit, quod *plenus*, & imprimis *salutaris*, exitus aut eventus, indè toties expectandus sit, quoties hæc ita compareant.

§. XXVII.

His itaque rebus, imprimis autem prioribus, ut præcipuis, ut satisfacere laboremus, venit omninò circumspectè evolvendum, quasnam partes, & in quo ordine, hîc habeat ipsa FEBRIS; an nempe illius maximè tanta hîc sit culpa, adeoque *præcipua*, nedum *directa*, habenda veniat ratio? & an verè harum culpa sit potissima in subsequente sinistro *eventu*, imo etiam solùm ipso præcipuo hujus *periculô*. An verò, & quid, tum ratione *ordinis*, tum ratione *energîæ* periculosa, imputandum hîc veniat *Inflammationi, internæ* partis insignis.

§. XXVIII.

Ante omnia itaque cogitandum est, an etiam quæcunque talis *Febris*, expectanda fuisset, si *Inflammatio* illa non adfuisset? Non dubitamus fore, ut aliqui rem hanc quæstione ne quidem dignam censeant, sed negativam hujus ita certam habeant, ut vel propter hanc certitudinem, omissam à chorô Medicô hujus quæstionis tractationem, judicaturi sint. Interim, uti certè res quantumcunque dubias, diligentius quasi decernere, omnibus modis expedit, si quancunque momenti

existant: ita hujus quoque dubii enucleationem, partim infida illa Medicorum *taciturnitas*, suadere videtur, (ne, quando utique res in controversiam adducitur, silentii sui illud commodum capeflant, ut deinde consensum suum eò inclinent, quo occasio invitare videtur magis, quam veritas luculenta) partim laudabilis ille, pro reliquâ Viri ingenuitate, candor *Sydenhamii*, qui jam in ipsâ prima propositione cogitationum suarum de *Febris*, non solum *Pleuritidis* tractationem reservat ad Symptomata *Februm*: sed etiam, procul omni dissimulatione, cordatè prorsus edisserit mentem suam, quod nempe *dolorem & Inflammationem lateris*, arbitretur *Febris*, hujus ingenii planè speciali, demum supervenire.

§. XXIX.

Argumenta interim, quibus hanc in rem utitur, quod sufficienter comprobare possint, nequaquam comprehendimus. Est autem horum præcipuum, quod *invasio* hujus *Febris* in formâ, quæ legitimè semper cum *horrore* contingit, Patientem corripit prius, quam adhuc ullum subinde, nedum exquisitum, in pectore *dolorem* percipiat. Cum verò alterum præjudicium hîc subesse videatur, quasi nempe *Febris* non aliter cooriri deberet, nisi vel â *dolore*, vel ab *ardore* Inflammationis, vel â *corruptelâ*, (quæ secundum *Fermentationum* Patronos, tam *Inflammationis*, quàm secundum ipsum etiam Autorem, totius *Febris*, essentiam ingrediatur) quorum utrorumque intuitu, priusquam eminentis *Inflammationis* efficacia insolescat, adeoque exquisita & nimium quam sensibilis præstò esset talis, hoc ejus confectarium expectari non debere &c. Non diffidimus tamen fore multos, qui etiam hæc non pariter accipiant & agnoscant, circa modum *producendæ* *Febris*; tanto magis autem confidimus, fore plures, qui agnoscant, quod etiam satis jam notabilis *stasis* Inflammatoria obtingere possit, citra actualè exquisitam adeò *sensationem*: Utpote quam, vel paulò attentiores, faciliè agnoscent, cum antè sensibilem *incalescentiam* p. n. se non exferat, ante insigne *augmentum motus in-*

C
testi-

æstini (per *localem*) non evenire; licet interim *stasis* ipsa jam præsto sit, sed utique etiam minus exquisitè *sentiatur*. Equibus nempè sponte sua fluit, quod etiam in *Pleuritide incipiente*, *sensus* exquisitior, ab ipso principio, exigì æque, non possit; interim propterea nulla sit consequentia valida, pro negando *staseos* ipsius, jam præsentis, veritate. Dum potius *augescens* deindè *motus* sanguinis, per *pulsum Febrilem*, citius utique producit *sensationem* illam. Id quod etiam in omni *Inflammatoria lancinatione*, tantò manifestius evadit, ex eò, quod omnis talis, *lancinatio*, inquam, *Inflammatoria* (quæ citra *æstum* seu ardorem effatu dignum, *unum* magis, quam *præcipuum*, est, quod in *pectoris* Inflammationibus se & illas prodit) simpliciter sit *Pulsui* Synchrona, imò potius disertè loquendo, à *Pulsu* tensivò *impulsu*. Unde etiam hic mirum nequaquam esse potest, si *acutior* *sensus*, adeoque *Inflammationis* præsentis indicium luculentum, neque citius neque manifestius, se exferat, quàm *augescente*, demum, in *Febrilem* typum, *pulsu*.

§. XXX.

Certè verò involvunt hanc autoris opinionem etiam adhuc aliæ difficultates à priori, quarum *duas* allegasse suffecerit. Quis enim facillè gratis agnoscat, (nisi opinionibus ab omni Practicâ evidente certitudine abeuntibus, de *crisum* destinarum necessitate,) dari tales *Febres*, quæ etiam *internè*, tanquam ad specialissimum locum, *colligant*, *locant*, & *compingant*, certam ejusmodi materiam? aut, *Tachenio-Sylvianis* spontè subscribat, (quamvis non æque statim huic *Sydenhamii* opinioni etiam illud faveat) quod maximè *specifica* talia *acida* existant, quorum aliud, ad *Pectoris*, aliud ad *Hepatis*, aliud ad *duræ matris*, aliud ad *Faucium* &c. poros insidendos, *unicè* sit aptum. Iterum tamen dicimus, quod neque hæc fingentes, propterea simul passuri sint, quod hæc eadem materia, non solum *simul*, sed quasi *primariò*, sit *fontis* *Februm*.

§. XXXI.

§. XXXI.

Secundò, videtur omninò refragrari penitus, *externarum* occasionalium causarum indoles æque ac energia, ad excitandam *Peripneumoniam* & *Pleuritiden*; nempe *aër frigidus*, sub magis anhelâ respiratione largius attractus, crebrius, inquam, & profundius, ut in confiniis *Hyemis* & *Veris*. Imò, ab externâ manifestiore violentiâ, gravium *connisuum*, cum anhelitus contentione vehementissimâ, factæ Pectori injuriæ. Quin etiam à *contusionibus* violentis aut *vulneribus*, manifestò à priori inductæ, *Inflammationes*, etiam planè in *externis* partibus corporis, *Febrèm Vulnerariam*, familiarissimè adsciscentes comites. Hæc sanè, inquam omnia atque singula, satis luculentum reddunt, quod *Febris Inflammationibus* longè certius, *supervenire* soleat, quam contrà, *Inflammatiò Febrì*.

§. XXXII.

Cui rei etiam adstipulatur, quod iis temporibus, quibus *Pleuritides* grassari observantur, rarò totidem, aut saltem effatu digno numerò, occurrant Patientes, qui quacunque *continua* Febre simpliciore, aut alio modo, aut planè non, *inflammatoriâ*, afficiantur. Undè iterum res recideret ad necessitatem ejusmodi absolutè *specificæ* indolis Febrilis, quæ directè & simpliciter ad *Pectus* congestionem talem exercean. Quod certè multos consensuros esse, non injuriâ diffidimus, nec ipsa hæc conditio permittit.

§. XXXIII.

Quemadmodum autem ita hæc difficultas cadit, quasi Febres hujusmodi *Acutis morbis* sociatæ, *primas* partes habeant ipso sui *ortu*: venit adhuc excutienda altera, an maximè præcipuæ *dignitatis* existant, in ordine ad *periculum*, præ ipsâ *Inflammatione* internarum partium. Quam rem duos respectus involvere notandum est; nempe I) an Febris *materiali* quâdam ratione, *Inflammationem* talem manifestius *sequatur* aut *comitetur*, eoque nomine periculosiorem *materialem* constitutionem involvat, quam ipsa *Inflammatiò*, II.) an talium

partium Inflammatio si etiam omnis *Febris* abesset, minus, nedum nihil, periculosa hinc futura esset, atque judicari posset.

§. XXXIV.

Equidem hodierni mores utique faciunt, ut prior illa quæstio tanquam seriò enucleanda videatur; postquam *Febrilis commotionis* tota scena, passim adhuc magno nisu vindicatur purè *passivæ exagitationi* à morbidâ materia. Et hoc ipso nomine efficacia *Inflammatoria*, Febribus adeò pressè tribuitur, ut etiam *in omni Febre esse Inflammationem*, aliquibus placeat: Undè tantò magis, ubi jam manifesta agnosci potest Inflammatio stricti sensus, ibi etiam *materiam* seu mineram *Febrilem* existere, intelligi deberet: dum videlicet apospasmata, *Inflammatoria* ratione corrupta (uti tales volunt) in *Massam* sanguinis insinuata, in illâ etiam tumultus illos *intestini motus* concitent, quos in *Inflammatione partiali*, producere finguntur, undè *æstus* formetur.

§. XXXV.

Quemadmodum autem in tradendâ verâ rerum indole; *ἀνύπω* uti terminis, minimè expedit; præterea etiam vera *Theoria Inflammationis*, docente tantò magis *Sphacelo*, satis demonstrare potest, quod etiam ipsius *Inflammationis æstus* perperam directè & simpliciter imputetur nudo *motui intestino*; sed longè verius, & Mechanismo undique luculento, *motui*, *arctius* quidem, sed propterea nihilò segnius, sed sanè fortius, *progressivo* hoc deberi, (Etiam documento doloris eximii, in *suppuratione* jam largâ facta, eo momento evanescentis, quo *tensio*, *rupto abscessu*, desinit) prolixius demonstratum sit, ab Experient. D. D. Præside Dissert. de *Mechanism. Mot. Sang. & de inflammat. vera Pathol.* Efficaciam etiam *augendæ caloris*, & *intestini motus sanguinis*, per *localem*, luculentissimè monstret *incalescentia à motibus corporis localibus*: Præterea etiam in verâ, non supposititiâ, ingente *corruptione sphacelosâ*, nihil talis *æstuosæ* efficaciæ *Febrilis*, in M. S. sentiatur, quæ tamen, ex Hypothesi, tantò majore proportionè utique emica-

emicare deberet, &c. Moderanda certè propterea eximiè, videtur assignatio illa *Inflammatoriae* constitutionis *toti sanguini* imputandæ, ne multis modis *ἀνύμω*s vocabulum hoc usurpâri deprehendatur.

§. XXXVI.

Neque verò minus est obstaculum, in probandâ *ratione augendi motus localis*, *Pulsus* inquam *Febrilis*, ab illâ suppositâ *intestinâ* Sanguinis exagitatione. Sicut enim nudam *irritationem* Cordis, etiam inter valdè varia sentientes, tamen certè paucissimi patienter audiverint; Tantò magis, cum rationi ipsi refragetur, quod etiam *augescente Inflammatione*, aut *vigorem* suum nacta, adeoque per hanc Hypothesin *augescentibus irritativis* illis particulis, tamen pulsus coeptam æqualitatem servet, sed debilior potius quàm fortior evadat, quo magis illæ prædominantur: præterea iterum hîc totam rem pessundet Exemplum *Sphacelosæ*, sanè verissimæ, corruptionis: Ita minimè certè ad planum conceptum usquam explicari valuerit, sive *ortus* seu genius *Febris*, secundum omnes sui circumstantias spectatæ, ab hujusmodi *materiali*, *corruptivâ*, & *directè* *intestinè* agitatoriâ, adeoque secundum hanc Hypothesin, *Inflammatoria* causâ.

§. XXXVII.

Ubi etiam minimè certè sufficit provocare, partim ad mutationes in *Urinâ* comparentes; partim ad indicia quædam *Inflammationum* in visceribus, quæ in plerisque à Febre importuniore demortuis, post mortem apertis, conspecta leguntur. Quod enim primum attinet, tantum abest, ut insolitæ ejusmodi constitutiones in *Urinâ*, turbidam & secedentem inusitatam crasin formantes, ab illâ seu *Febrili*, seu *partium Inflammatoriâ*, *corruptione* supposita, meritò deduci debeant; Ut potius in Febribus hujusmodi *pejoribus*, hujusmodi constitutio *Urinæ*, quam maximè desit: & quanto magis hæc signa ibi desunt tantò pejora & periculosiora sint omnia. Cujus certè contrarium fieri debere, si hypothesis valeret, manifestum est.

§. XXXVIII.

Quod autem secundum attinet, de luculentioribus indicibus Inflammationum, quæ in multis febre demortuis reperiuntur, distinguendum ibi primò, magnopere est, inter fortuita & *accidentalia*, adeoque etiam *individualia*, *producta* & *confectaria* Febris; & inter *Essentialem* ejus, *perpetuam*, *directam*, efficaciam: nedum *causalem* rationem effectivam, ipsius Febris *autorem*. Secundò, nihil probat etiam totum hoc documentum, in eò, dum ferè non ita rarò evenire potest, ut veræ *Inflammatoriæ* Febres, verè inquam *junctæ inflammationibus* partium internarum, fuerint, iisque homines tales legitimo eventu, interierint: Quas interim Medicus, (sicuti reverà non ita rarò difficillima est *firma* diagnosi) pro talibus dijudicare non valuerit. In quibus deindè *Inflammationem*, talem, demum oculari inspectione agnitam, pro *Febris quâ talis, perpetuò & directè*, fonte æque atque fomite, venditare, certe *ἀτοπον* fuerit.

§. XXXIX.

Quid, quod omni etiam rationi refragetur, cum utique *Tertianæ* legitimæ, sint veræ *Febres*, & *æstu* polleant, communissimè longè majore, quam multæ etiam, ac verè *acute*, Febres: Cum utique causa debeat proportionata esse suo effectui, necessaria esset hic ingens *inflammatio*, pro tanto calore. Quam, quomodo cum diuturnâ *intermissione*, & omninò certo atque proprio *Tertianis legitimis* genio minimè *funestò* aut verè periculosò, in ordinem redigere possint, viderint quorum interest.

§. XL.

Putamus ex his fatis apparere posse, quàm parum verisimilitudinis occurrat, quæ persuadere alicui posset, quod in *Febribus*, s. Febre *in genere*, tanquam *essentiali* qualicunque ratione, *inflammatio*, qualitercunque tolerabili sensu sumpta agnoscenda veniat, sed nondum hoc ipso sublata est, de quâ proprie loquimur difficultas. Versatur enim hæc, strictissimè

mè sumendò , in eâ quæstione: an utique , ubi ita in nobilioribus internis partibus, præstò est aliqua inflammatio, illa *materiali* quâdam ratione concitare etiam possit *Febrem*. Quamvis autem utique in præcedentibus proximis §. vel præcipua argumenta in contrarium jam allegaverimus, non tamen inutile ducimus, illa partim pluribus latius explicare. Fundamentum autem omninò totius *dubitationis* rectè expediendæ, eò recidit, an *motus localis*, (qui procul omni dubio, *calorem* concitare, in sanguine, & toto corpore, valet, & in Febre ad omnem sensum manifestò eximiè *auctus* deprehenditur,) *corporeo-mechanicâ* quâdam ratione, *intestinum motum*, sequatur, dico etiam in Febre; an vero contrà intestinus localem. Deindè, cum, vel aliud cogitantes, non pauci in eo consentiant, quod etiam *Febrilis calor*, posset deduci à *motu locali aucto*: dum nempè profitentur, quod utique manifestò importunior sit motus *pulsus Febrilis*, quam sub *naturali* gradu caloris: tamen ad horum etiam intellectum ita est ordinanda atque instruenda quæstio: an utique motus hic, *materialem* quemcunque stimulum, quem denique sequatur, supponat, aut præ sese ferat? an verò etiam sine tali, *materiali* stimulo, & possit fieri, & soleat? & quidem in *Febribus*.

§. XLI.

Enimverò de *Febribus* generaliùs loquendo, sine dubio adhuc difficilior explicata est tota res; dum ibi recursus perpetuus ad priscum latibulum (nihil sollicitis, quod Philosophi *Petitionem principii* damnent) non magis patet, quam ferè placet. Nempè, cum utique in *plerisque* *Febribus*, imò juxta hos, in favorem Hypotheseos suæ, in *omnibus*, supponatur oberratio *alienæ materiæ* in humorum latifundio; ducunt satis probabile, quod omnino hæc ipsa res, ad minimum possit valere ad provocandam *irritationem Cordis* non solum, adeoque *pulsationis* illum Impetum: sed etiam *directè*, & *propriâ* sui energiâ, producendum *Intestinum motum*, nempe ipsius *caloris*, per latifundium Sanguinis, abundè sufficere.

§. XLII.

§. XLII.

Speramus autem neminem fore, judicii sinceri compo-
tem, quàm Nobis largiatur, quod, si hujus asserti veritas, non
dilucescat in *majori* suppositarum talium rerum *proportione*,
nullo etiam jure allegari possit de *minore* quantitate. Ad hanc
normam, cum *Inflammationum* effectus, *internarum* nempe,
& certior sit, & luculentior, ad excitandam Febrem; si hîc pro-
bari potest, quod talismodi constitutio nullo ut directè *mate-*
riali intuitu hunc ipsum Effectum edat: imò verò, etiam aliæ
manifestissimæ hujusmodi *materiales* inquinaciones, à sup-
positâ *proportione* mirum quantum recedant: erit certè hinc
justissimus aditus ad concludendum quod energia illa *Febrifi-*
ca, supposito illo modo atque more, minimè procedat.

§. XLIII.

In hunc sensum si expendamus, quomodo etiam non val-
dè conspicuas, nedum magnæ molis, *Inflammationes* inter-
nas, nihilominus non magis certa, quam etiam eximia subindè,
sequatur Febris; *externas* verò conspicuas atque *largas* In-
flammationes, quin imò *totorum artuum sphacelose* corru-
ptiones, imò actuales *putrefactarum* portionū abscessiones, vel
nulla, vel infra omnem ad hanc Hypothesin justam propor-
tionem, *exigua* Febris, comitetur: Certè neminem fore cre-
dimus æquiores arbitrum, quin agniturus sit, quod falsa ita-
que *Conclusione*, vitium certum sit in *suppositione*, quæ est Hy-
potheseos.

§. XLIV.

Idem sentiendum est tum de *Intermittentibus*, in quibus
ne quidem sufficiens præsentia talismodi *matariarum* in Hu-
morum latifundiô, probari potest: & tamen *Tertianarum*
pulsus & *æstus*, nulli usquam alteri Febri cedit. Tum etiam
Exanthematicarum, & inter has eminentium *Variolarum*.
Cum enim in his, aliàs rectè progredientibus, tam *mitis* adsit
Febris; & maximè quidem, quamdiu materia adhuc in *Massâ*
Sanguinis versatur, antè eruptionem, imò usque ad *Suppura-*
tionem, ejusque comitem *ardorem* per totum habitum (in

copiosioribus) ut inde, qui planè exactè rerum suarum satagere volunt, *Variolas* à *Febre* planè distinguant: Elucescit sanè hinc iterum clarissimè, quam ficulneum sit fundamentum *Hypotheseos*, quasi *materiæ* hujusmodi *sanguini immixtæ*, efficaciam hanc *Febrilem* in illam exferant.

§. XLV.

Ex adverso vero nemo peritus negabit 1) quod ad iterum *dissolvendam* statim; æque, ad *distrabendum*, sub *suppuratoriâ* corruptione, *agilissimarum*, adeoque ulterius *activarum*, particularum, *unitum* effectum: nullus usquam *mechanismus* valere possit, præter *augmentum motus localis*: Nempe transitus vividioris; quo nempe vel *stipatio* & firmior *cohesio coagulatoria*, *radendo* detergatur & aueratur: vel ad minimum tenuissimæ portiones, sub corruptione evolutæ atque *libertate*, desideribus reliquis subtrahantur atque auferantur. Hoc autem cum sine *pulsus* augmento, imò aliter, universalius, quam *per illud*, fieri non possit; Hoc vero augmentum inseparabili consequentiâ post se trahat *caloris* incrementum, tale, quale *Febris* nomine salutatur: Dilucescit ex his circumstantiis utique simplicius, quod vero sensu sumpta *Febris*, potius nimium diverso respectu, non *materiali* nexu, sed *instrumentali* atque *finali*, hinc excitari, non tam soleat, quam potius *debeat*. Nisi nempe verè *materialiter* liberrimæ, atque simpliciter sibi relictæ, *corruptioni*, ne *suppuratoriæ* quidem, sed potius immediatè *Sphacelosæ* locum dare; adeoque conservationis Corporis, quam *Vitam* vulgò appellant, usitatum verum & unum *instrumentum*, *motum Sanguinis localem*, ad *proportionem* objectorum periculoso- rum instruendum & usurpandum, simpliciter negligere, justius videatur.

§. XLVI.

Quemadmodum autem hæc veriore ratione atque consideratione, *Febris*, potius ad *Vitæ conservationem*, quam ad illam, ab *Hippocrate* ipsi imputatam, ejus sublationem, non so-

lum pertinere sed omnino necessaria esse, intelligitur; Ita tanto justior, imò vero necessaria, est, luculentior evolutio, quidnā veri aut falsi in hac assertione sublit; quod *Febris ipsa*, his affectibus conjuncta, juxtā *Hippocratis* pronunciationem, homines occidat. Non videmus autem, quā aliā, nedum meliore ratione, hoc præstari possit, nisi illā unā, si *morbus* ipse, cui talis *Febris* jungitur, *nullius*, aut certè non magni, nedum *lethalis*, *periculi*, ullò modò reus esse possit. Quò nempè præstitò, utique culpa *lethalis* eventus in solidum recidet in ipsam Febrem.

§. XLVII.

INFLAMMATIO, verò, adeoque strictò, sensu dicta, imò illo, qui in substratā materiā unicè locum habet, cum *materialiter* involvat, *stasin* Sanguinis; offert considerandam staseos hujus dispositionem, seu ad minus seu ad magis *periculosum*, successum & exitum. Minus periculosus talis tam successus quam exitus, alius, nullum locum invenit, quam talis, qui nequaquam *materiali* huic constitutioni quatenus tali, innititur; sed planè alteri respectui. Secundum quem ipsum etiam adhuc *duplicem* habet differentiam, ut nempè vel *minimum* omnium periculosè seu ambiguè, decedat: vel satis, imò admodum exquisitè *dubium*, & periculi plenum eventum adhuc foveat & quasi parturiat. Utrumque autem horum meritò iterum monemus maximè consistere in *alterius* rei, quàm ipsius *materialis* h. l. constitutionis, rationibus: nempè in *MOTU*, huic *materie* accedente, & reverà aliunde adveniente, & quod ad *Motus* naturam propriè facit, quoties continuatur, (continuatur autem etiam in hoc casu,) aliunde. Mediante hōc *Motu*, obtingit ita *subsistenti* sanguini, non solum ipsum illud, quod propriissimè *Inflammationis* nomen fortitur, nempè insigne *augmentum caloris*, in ipsā parte stasi affectā; sed etiam, nempè propriè ad nostrum propositum, si cetera sint paria, *distractio* iterum successiva, quam *discussionem* appellant, factæ ipsius staseos. Et hic est *minimi* omnium, imò, si ita succedat, & fiat discussio, *nullius periculi* compos, eventus.

(Mo-

(Modò verè debitis successibus fiat vera discussio, & quidem sincerius *sanguinearum*, stasium: non vero *præceps* solum *retropulsio*, *Erysipelacearum*, aut specificè *malignarum*, ἀπὸ τὰ σκευῶν seu se positionum potius, ab ignobilioribus partibus, de- nuò ab nobiliores.)

§. XLVIII.

Mediò modò *periculosus*, imò profectò in nostro nego- tio strictius sumtò, *ultrà* medium, periculosus successus, est eventus *suppuratorius*. Sicut enim hic, etiam in partibus minus nobilibus, & multas molestias involvit, & maximè parti ipsi quam occupat, portionem aliquam, *solida texture*, omni- nò detrahit, *irreparabili* subindè, ut in *glandulosis*, damno: Ut *futuras* sensibilitates atque debilitates, sic satis familiariter remanentes, prætereamus. Ita summi adhuc periculi est e- ventus, si *suppuratio* talis eveniat in partibus *nobilioribus*, *te- nuioribus*, *indefinientis*, maximè *necessarii*, officii atque *usus*, ex- quisitissima peculiari *conformatione* affectis, & tali quidem, quæ vel planè non reparetur post primam formationem: *colliqua- tio*, inquam, talis, texture in visceribus, quam *Suppuratio* ma- terialiter exhibet: Cum non solum, (exceptis, sed tamen etiam prudenter, & quadantenus, *pulmonibus*) I.) *evacuationem* ita corruptæ portionis, nisi periculosissimam ut ambiguam, non promittat; sed etiam II.) *mundificationem*: III.) in *colatoriis* visceribus, perpetuò & nimium succedentem *manationem*: & IV.) nullam potius, quam difficilem atque tardam, *consolida- tionem*, ordinariè permittat, quin ad summum paulò languidio- res, *Hætica* consecutiones & catastrophes, nihilominus pes- fundent.

§. XLIX.

Si verò in solidum, *ex se* considerata, & citrà hos *Motus* quomodocunque salutare, sibi relicta, aut illis non obsequens, nuda *materialis* huiusmodi *stasis*, de suo *periculo* judicari at- que censi debet, est illud non solum *summum*, & absolutissi- mè *funestum*: sed etiam *inevitabile*: imò insuper *præsentissimè* successus *lethalis*, nempe SPHACELUS.

§. L.

Hoc periculum, omnibus modis *supremum*, cum absolute nulla aliâ ratione evitari possit, nisi unice *motu* illo *abstersivô* & *ablativô*; nempe *locali transpulso* reliqui sanguinis: qui in hujusmodi *internis colatoriis*, propriô sufficiente tonô destitutis, alius, nisi simpliciter *impulsorius* & *appulsorius*, adeoque universaliter *pulsorius*: qui verò diutius continuare, non potest, quin dicatur *Febris*: Apparet hinc satis manifestô, habitus, ante omnia *Inflammationum* talium *internarum*, ad *directam* efficaciam *κτενωδέα* seu internecionem: & porrò *necessitas Febrilis* motus ipsi opponendi: nisi illæ directè & *immediatè*, simplicissimè ex sui *propriâ* efficacîa non modo *certissimè*, sed *etiam citissime*, *interficere* debeant.

§. LI.

Ne autem ulli adhuc dubio relinquatur locus, placet etiam adhuc semel *Febris* indolem, quatenus *funestum* effectum in se sortiri posse videntur, exquisitius ponderare. Considerandum autem, ad nimiam prolixitatem occupandam, veniet, an vel his casibus usitata *Febris*, vel magis *generaliter* considerata, hujus malitiæ postulari debeat? an vero etiam, *planè peculiaris* atque *specificæ* cujusdam indolis nomine. Brevis, an hæc *Febris*, cui *Hippocrates* τὸ κτείναν ita adscribit, sit propria atque singularis *species* *Febris*, quæ hoc *proprium* habeat, ut *occidat* hominem: an vero quoquo modo *generalior*. Profecto, si *Sydenhamium* audimus, certò *Febris specificæ* hæc malitia erit. Dum ille non obscurè innuit, quod *Pleuritidem* agnoscat, pro peculiari *producto*, sine dubio non nisi peculiari etiam *speciei* *Febris* competente: quæ nempe *proprium* hoc habeat, ut *Inflammationem Pleuræ* compingat ac *efformet*. Quamvis autem *Pleuritis* (seu potius *Peripneumonia*) ex simplici sua indole, minus quam omnes reliquæ, sit deleteria, adeoque *mortiferis* *Febribus* minore jure accensenda; inter quas tamen *Hippocrates*, principe allegato loco, illam omninò nominat, *Pleuritidem* inquam & *Peripneumoniam*: Nemo tamen

tamen non videt, quod hoc intuitu, quo *Peripneumonia* cooriri *Sydenhamio* videtur, etiam reliquæ *Hippocrati* nominatæ æque, atque tanquam ad harum Paradigma, subindicatæ, tales Febres, (nempe cum *Inflammatione* partium *internarum*, ab hac, vitæ periculosa) hominem invadant ac obsideant.

§. LII.

Quemadmodum autem huic dubio, uti jam suprà illud allegavimus, ita etiam alias ponderosiores dubitationes ita opposuisse nobis videmur, ut positivæ certitudinis dignitatem vix tuitura sit hæc opinio: Ita profectò etiam adhuc minus rem expedit, jam supra quoque citata, ab ipso *Hippocrate*, L. 2. de *morb.* delineata *Febris*, quam simpliciter *Φοβάδεια*, cædis ream & occisorem, inscribit. Sicut enim hodiè certè vix quisquam fuerit, qui dubitet, quin ibi delineatì typi *Febris*, certò cum *Inflammatione internâ* conjuncta sit: Ita certè *petitioni Principii* potius inserviret, hujus allegatio, quàm affirmativæ assertioni quæstionis, quod talis *Inflammatiō*, nedum manifestiores & quasi crassiores, potius *sequatur* Febrem, quàm illam *Febris*.

§. LIII.

Eòdem profectò referenda est, nempe ad vitandam *Petitionem Principii*, illa, quæ proferri possit, exceptio, quod utique etiam Febribus, ab ipso sui *initio*, nullius *inflammationis* internæ probabiliter adhuc arguendis, tamen satis facillè tamquam *superinduci* atque conciliari talis possit: tam per malum regimen *Patientis*, quàm per *medicationes* perversas. Ubi iustissima non minùs quàm dignissima, est nota *Baglivii*, quod in *contagiosis*, mox sub ipso *incremento* (& tanto magis in fervido *Italico* aëre) patientibus temerè oblata *calidiora* Alexipharmaca, familiariter *stigmata Gangrænodea* in visceribus, velociter inde defunctorum, post se relinquant. Manifestum tamen satis est, quod neque hæc circumstantia scopum feriat, nempe propriam directam & ut loquuntur specificam indolem, certarum talium Febrium, quæ è suâ *propriâ* indolè hos effectûs edant, ullò modo confirmet.

§. LIV.

Ubi, ut etiam omnis præjudicii occasio auferatur, de hujusmodi quoque Febribus, quæ ita verè *per accidens* Inflammatorios viscerum effectus post se trahunt, neminem prudentem fugere poterit, qualemcunque etiam de reliquò prope modum opinionem de Febrili indole foveat, quod efficacia illa, hujusmodi *Inflammatorios eventus*, Febribus talibus, manifestius indolis alienioris à talium directo consortio, superinducendi, non tam versetur in Energiâ, *Febrem* ipsam veluti magis directè & immediatè, aut in genere & universaliter, *turbandi*, aut simpliciter *exasperandi* & in deterius conjiciendi: sed potius manifestiore effectû particulari, æqualem distributionem humorum, Febrili motui, pulsûs nempe æquali impulsui, debitam, vel particulariter, citò & potenter *exagitandi*: vel ab universaliore distributione, magis ad peculiare regiones *restringendi*: (ut v. g. per *refrigerationes externas*) adeoque omni modo, potius novum & *alienum accidens* Febris superinducendo: quam ullo modo, velut ipsius Febris, ut talia jam parturientem indolem, adjuvando aut excitando.

§. LV.

Ex abundanti autem prorsus, placet adhuc semel percurrere illam ἀκυρολογίαν, quam suprà jam attigimus, dum nimirum non desunt, qui æstum Febrilem falsò, simpliciter *primariò* sanguini adscribentes, simul etiam abusum illum acceptionis *Inflammationis* invehunt, quod etiam æstus Febrilis, non improprie *Inflammationibus* accenseri, & *Inflammatio sanguinis* dici mereatur. Quicunque autem hanc sententiam suam faciunt, certe nec *Inflammationis*, verò strictò sensu sumtæ, veram indolem atque rationem intelligant necesse est: nec in genere, totius negotii & veræ *mechanicæ* rationis, *incallescencie* sanguinis, percipere. Sicut enim *Inflammatio* nequaquam dependet, directè & *primò*, ab intestino motu sanguinis, à supposita ejus *corruptione* arcessendo; sed omninò à *localis motus*, nempe *transitus*, arctioris quidem, sed simul
rigi-

rigidiorē *tono* partis affectæ, (quam testatur ingens illa *durities Inflammatorii* tumoris, imensum quantum majoribus *oedematosis* plane contraria,) in ipsâ parte *intensius* fientis, *singulis transpulsionibus*, dependet: ita certè etiam Febrilis calor, minimè omnium primò ab *intestino* sanguinis motu exoritur, imo ne *naturalis* quidem gradus calor: sed utrinque à reciproco *allisu* ac *attritu*, strictè dictarum *Sanguinearum* (rubrarum, *solidescantium*) particularum, cum *solidarum* partium *fibris*, rigidius occurrentibus; & quidem in Febre, triplo plus aucto motu *progressivo*; nempe præter simplicem actum *progressus*, cum quo *naturalis* caloris gradum efficit, tam *celeritate* impulsus, quam *frequentia* citatæ repetitionis.

§. LVI.

Quò ipsò certè, *mechanicè* vero atque solidò, intuitu, tantum abest, ut actus *Inflammationis* rectè de sanguine prædicari possit; utpote cujus præcipua *concurrentis* causa, in *fibrarum* potius *solidarum* energiâ posita est (sine quo sanguis nunquam ad tale genus *caloris*, imo nec simpliciter *intestinali motus*, sed unicè fortè ad *teporem putredinosum*, pertingeret) ita satis hinc dilucidè dispalescit, quàm maximè *improprio* sensu, *Inflammatio*, quocunque etiam tandem respectu, de Febre in genere, seu *æstu* Febrili, prædicari possit.

§. LVII.

Ex omnibus itaque his, & distinctè enucleatis, & diligenter inter se mutuò comparatis, elucescere omninò posse confidimus, quid sentiendum sit de *morbis*, Hippocrati dictis, *Acutis*, vel etiam antiquioribus ejus antecessoribus; quod nempe reverà nulli alii sint, quam vugò ita dictæ FEBRES INFLAMMATORIÆ: Verissimè autem & strictissime loquendo, INFLAMMATIONES VISCERUM Periculosiores, in nullâ aliâ succedendi & exeundi ratione *salutarem* eventum experiri compotes, nisi in successiva *resolutione* adeoque tandem simplici *discussione* potius, quam ullâ *corruptione*, sive *suppuratoria*, sive *ulcerosa*, sive *sphacelosa*.

§. LVIII

§. LVIII.

Esset autem omnino quidem hujus loci, sed non est hujus temporis nostri, utpote certò necessariò prolixior, exactior tractatio & deductio, qualis maximè *species* hujusmodi *Inflammationum*, & in quibus *partibus* præ aliis, sit illa, quæ, longè plurimum hujusmodi *periculi* *πτενώδους καὶ Φονώδους*, involvat. Et, cum etiam Veteres, passim hîc, quantum ad factum ipsum, satis claris oculis viderint; quia tamen non solum illi, sed omnis etiam posteritas, & imprimis recentior, ita dicta curiositas, veram *physico-mechanicam* rationem *Inflammationis* in genere, nedum *specierum* ejus, tantum abest, ut perspexerint, ut etiam in sensum propemodum rudem ingestam, & verè antè oculos positam, ne quidem ad animum admittant: Esset utique quam maximè locus, luculentiori harum rerum demonstrationi: Imò pateret hîc totus campus, ad verè ob oculos ponendum, *ubi, quando, quatenus, & quales*, *CRISES* in hujusmodi *acutis*, manifestis æque, atque de hac indole suspectis, sub minimè ita raro apud *Hippocratem* nomine *καυσώδων πυρραγγινῶν*, imò *Erysipelatum*, extrorsum aut introrsum tendentium,) Ubi etiam occasio, imò res ipsa, abundè ferret, ut varii apud *Hippocratem*, solum sub *Nomenclaturis* illorum temporum, deindè ex abrupto quasi, mancâ passim *descriptione*, delineati affectus, è vagâ illâ licentiâ, in ordines suos atque tribus revocarentur: (ubi profectò vel solus *Liber II. de Morbis* occasiones præberet minimè steriles, &c.) Hæc, inquam, quantumlibet post operosas jam circa hoc subiectum universum curas *Petri Michael, de Herediâ*, non ferrent solum, sed mererentur profectò, solidam tandem deductionem, quantum in cujusvis est viribus: sed temporis ratio limites nobis præscribit, & DEO atque diei hæc commendare jubet.

§. LIX.

Non possumus autem prætermittere, quin censuram incurere metueremus, commemorationem, & secundum nostras

stras huc usque propositas contemplationes, applicationem indolis *Acute*, hujus sensus, ad ita dictos *peracutos*, *malignos*, *Contagiosos*, *Febrim* foventes *sociam*, affectus, *PESTILENTES*, & *EXANTHEMATICOS contagiosos*. Quid aliud, *Hippocrates* quàm disertis verbis *contradistinguit*, allegato textu primariò, λοιμώδεως τρέπῃ morbos, illis, quos *acutorum* nomine, tanquam magis propriè intelligendos, ibi velut decernit? Verba sunt clara, nempè: *Maximè eum medicum probaverim, qui in morbis acutis, quorum vi plerique homines intereunt, pro talibus, diversum quid, ab aliis sit, aut habeat, in melius. Sunt autem hi acuti morbi, illi, quos veteres nominârunt Pleuritidem, Peripnevmoniam, Phrenitidem, Lethargum, Causum. Et alii, qui horum aliquid habent, quorum Febres, ut plurimum continentes existentes, occidunt. Quando enim non Pestilentis morbi aliquod genus commune, (vel communiter,) grassatur, sed sparsi sunt morbi, & non sibi invicem similes, à talibus (acutis) morbis, moriuntur plures, quam ab omnibus aliis. Manifestissimè, inquam, hîc utique contradistinguantur, hi, de quibus loquitur ex instituto, ACUTI, cujuscunque PESTILENTIS indolis morbis.*

§. LX.

Interim, cum *Hippocrates* utiq; passim, in *Prædictionib9*, *Prognosticis*, *Prænotionibus*, *Epidemicis*, *Criticis*, *Aphorismis*, & alibi sparsim, quales utique *circumstantias*, ibi adscribit, ut in genere, *acutis*: nempè *brevis ambitus, statum dierum mutabilitatis, Expulsionum* ad exteriora corporis, familiariter supervenientium, *symptomatum, Deliriorum, Convulsionum, Sopororum, Apoplectici* seu attoniti exitus &c. Hæc, inquam, eadem, omninò *contagiosis malignis* non solum tantumdem, sed aliquæ etiam certius, respondent & competunt, quam illis, quæ quoquo modo his *contradistingui* verè mereantur: nemò certè erit, quin videat, quod, quomodocunque etiam tandem res flectatur, evitari *confusionis* periculum non possit, si hic planissimus locus, cum *usurpationibus* illis familiaribus *Hippocraticis*

sicis comparetur. Quorsum adhuc facit, quod *Hippocrates*, citatò locò hòc, *acutos morbos* suos, luculentis verbis eximat, ab *Epidemicorum* & *communiter grassantium* censu, & expresse *Sporadicis* societ: non potuerit intelligere sub acutorum nomine aut Familiâ, ipsos etiam *Epidemicos*, nedum *Pestilentes*.

§. LXI.

Non tamen hòc ipso subducta est, ipsa utique iusta illa quæstio, si quam maximè illò sensu, quem *Hippocrates* stabilit, *acuti morbi*, *Inflammationibus* partium *internarum* superstructi sint, annon etiam in ipsis utique *Pestilentibus*, & aliis, *Epidemicis* Febribus, quibus homines magnâ copiâ & festinatione passim intereunt, reverà accusanda veniat ipsa quoque *Inflammatiò Internarum* præcipuarum partium? adeoque hoc ipsò quoque nomine *Hippocrates* debuerit unâ complecti *Pestilentes* & *Epidemicos*? Aut, quicquid etiam his verbis veluti protestatus sit, facto contrario protestationem illam ipse aboleverit? ad minimum per Privilegium illud, quod Medici sibi eripi intolerandum putant, *posteriores cogitationes primis meliores* habendi.

§. LXII.

Sed præter illud, quod non æquè sive concutere, sive etiam ineptè propugnare, placeat, *Hippocratis* Autoritatem, imò infallibilitatem; certè rei ipsius, *indolis* inquam *veræ*: imò etiam respectus & usus Medici *Therapeutici* secundum illam, inventio, & verè quadrans explicatio & applicatio, exigat iustissimam discretionem.

§. LXIII.

Nempè, plurimum interest, an *directè* & ex proprio suo genio, non tam primariò, inquam, quam simpliciter etiam *primò*, toto sui ordine, & initio, *Inflammatiò* talis subsit; quam *insequens* Febris, secundùm hujus maxime conditiones atque habitum, æstimari imò vero tractari, debeat. An verò, inverso ordine, *Inflammatiò* talis revera demùm solum, facile possit, adeoque etiam tam familiariter soleat, Febribus hujusmodi accidere & *supervenire*.

§. LXIV.

§. LXIV.

Illi certè priori sensui ut calculum nostrum adjiciamus, nempe, quod *contagiosæ, malignæ & Pestilentes* Febres, è directâ sui indole, nunquam sint veri sensus *Inflammationis* partium internarum compotes, sed, si tales ipsis eveniant, non nisi *ex accidenti*, & ab impedito iusto Febrium harum successu, hoc dependeat: Faciunt tum aliæ plures hujusmodi circumstantiæ, tum exemplum v. g. *variolarum*. In his enim rectè & ordine, quantumlibet satis copiosè & affatim, procedentibus, è quo indiciò aut signo, vel antè eruptionem, vel sub eâdem, aut post eandem, subsumere licuerit, imò suspicari, quod in ulla parte corporis *intimioris* subsit aliqua *Inflammati*o? nisi nempe temerè nuda Petitio Principii occinatur, quod ipsa *Febris* sit testis *Inflammationis*. Ubi ad minimum jubemus inter se conciliare, si ipsa *Febris variolacea* sit verè & actu *Inflammatoria*, tam *copiosa* interim materia, qualem *copiosa excretio* demonstrat, subnixa, & insuper *malignæ* etiam indolis; qui fieri posse putandum sit, ut *Tertianarum* æstus, ordinariè multò intensior sit quàm *variolarum*. & quidem utrinque *rectè succedentium*.

§. LXV.

Si verò tam de *Inflammatione* strictioris justæ acceptionis quàm de ejusmodi rebus *putredinosæ* corruptionis compotibus, in *contagiosis, malignis, & Pestilentibus*, sit sermo, tunc valeret utique qualiscunque applicatio *generalissima*: Interim *specialibus* tam indolis, quam subsidiariæ *artis*, circumstantiis, profectò inutilis. Queinadmodum enim stasis *Inflammatoria*, etiam de maximè *sanæ craseos* sanguine oriri potest; præterea verò maxima ejus difficultas, uti reverà *formalis ratio* ad *inducendam* *Inflammationem*, propriè in detentione ejus in poris partium, fundatur: imò unicâ difficultas *Therapeutica*, etiam in eò hæret, quod hæc *stasis*, ante omnem, aut insignem, *corruptionem*, tam difficulter *dissolvi* atq; discuti possit: quo non succedente, propriè qualiscunque corruptio

solidae talis partis, præcipuum, & *certum* quidem, *mortis* periculum infert: ita, quomodo horum quidquam, præter *analogiam* generaliore, de impendente ipsi sanguini *corruptionis* periculo, & necessariâ *exoneratione* materiæ, quæ hoc inducit atque fovet, ad *Pestilentes* etiam & *contagiosas* reliquas *malignas*, adhiberi possit, cujuslibet liberum arbitrium atque iudicium facimus.

§. LXVI.

Illud satis manifestum est, quod ad verbum, *Hippocrates* *pestilentes* Febres, à *morbis acutis*, allegato loco, segreget & discernat. Neque minùs evidens, quod utique *Inflammatio*, usitato sensu sumpta, si *visceribus* eveniat, nimio magis diversam indolem repræsentet, quàm qualiscunque ipsi toti massæ sanguineæ eveniens, ejusmodi *inquinatio*, à qualibuscunque tandem *materiis*, corruptionem huic minitantibus. Cum enim, uti proximè dictum, *resolutio*, semel in actualem stasim, imò *coagulationem* compacti, sanguinis; & quidem intrà poros, hoc ipso infarctu impeditissimos redditos: multis parafangis distet, à nudâ qualicunque *oberratione* in latifundio sanguinis: & illic quidem plures longè *mechanismi* intermedii requirantur, ad qualemcunque discerpendi & dissolvendi methodum: Certè, nemo non facilè hinc intelligere potest, quantum hinc intercedat discriminis, inter nudam *secretionem* & *excretionem*, sanguinis fortè depurationi necessariam; & difficilem illam *præparationis* Mechanicam ut secerni & excerni possit, quæ stasibus *coagulati* sanguinis absolutè debetur.

§. LXVII.

Promovemus meritò gradum ad ulteriora, nempe ipsam *THERAPIAM Acutorum Morborum*. De *PROGNOSI* enim, non est, quod prolixi simus, cum & suprâ, & modò allegatæ, ingentes difficultates, quæ necessariam *dissolutionem coagulatae* staseos *Mechanicâ* ratione implicant, hanc ipsam quasi tacitè cuivis demonstrare possint. Interim nemo etiam à nobis expectabit, ut aliter, quàm secundum filum coeptæ nostræ tra-

ctationis, in *Therapiâ* quoquè progrediamur: nempè ostendendò, secundùm rationem, quid hujusmodi constitutionibus conveniat atquè debeatur, in *genere* tantum: minimè vero secundùm *species*, quod nostræ tractationis limites nequidem permittunt, nedum ut exigant.

§. LXVIII.

Ut autem omninò ad verum nostrum scopum dirigamus hanc etiam tractationem, occupari certè debet prima consideratio in eò, quonam imprimis *ordine* procedere hîc conveniat, respectu diverforum illorum hic occurrentium, *sociorum, Inflammationis, & Febris.*

§. LXIX.

Enim verò eloquitur hoc omninò res ipsa, rectè modo pensitata, quod non solum hæ res diversas habeant conditiones atque circumstantias: sed etiam longè maximam diversitatem in eo involvant, quod *Inflammatiô* quidem, *simpliciter* intoleranda, & verus fons atque fomes, universi tam incommodi, quam periculi præcipui, hîc existat. Dum ex adverso, *Febris*, sepositis omnibus præjudiciis, secundum veram *mechanicam* efficaciam rectè æstimata, omninò ad *usum* non contemnendum vergat atque valeat.

§. LXX.

Tantò minus itaque certè dirigenda hîc veniunt, præcipua, nedum tota, intentio, ad hanc *Febrem*, quoquo modo, tanquam ipsum fortè, aut *præcipuum, morbum*, oppugnandam, aut expugnandam. Cum enim, alia quælibet opinantium, tamen quotquot Historiam Præcticam perceperunt, nemo, tanquam *summam* illam, neget; quod, si modo *Inflammatiô* benè succedit, ante omnia ad *discussionem*; tum etiam in locis ad hoc idoneis, ad propiorem aliquam *exonerationem* (v. g. *sputa cruentò*, in *Peripneumoniâ*, commodè procedente) non solum tota *Febris, mitior & moratior* spontè evadat: sed etiam infamia illa *κτενωδὲς* malignitatis, nisi plane per accidens aliquid turbetur, velut evanescat.

§. LXXI.

Undè certè vel simplicissima sana ratio hoc dictitat, quod ad *dissolutionem*, quantum usquam in viribus & potestate *artis*, esse potest, *Inflammationis*, omnis cura intendenda sit. Quandoquidem nemo universas has res, secundum ipsam veritatem Practicam, rectè cognoscens & agnoscens, illud negare poterit, quod ablata sincere *Inflammatione* tali, etiam ipsa *Febris* cessatura sit; aut certè in longè mitiorem indolem cessura, si utique fatalis illa nostro Climati familiaris *complicatio compositorum typorum*, adhuc ob *conjunctam* aliquam causam, Febrilis commotionis longiorem continuationem fortè foveat.

§. LXXII.

Imò verò mores ævi nostri certè difficiles, exigunt, ut hùc etiam *privativè*, de illis rebus, quas *non agere* necesse sit medicò, aliquid dicamus. Nempè, cum *curatio* Febris, inter tot portenta opinionum de indole illarum, tamen hodiè admodum proclivis sit ad consentiendum in *artificiosis* & *generosis*, ut appellant remediis; Ubi tam per qualemcunque chymiam *concentratiora*, quam *fortiora* imò *violentiora* remedia; quâsi unanimi consensu sapprobantur: nempe *Alexipharmaca calidiora* & *acriora*: apud alios *Volatilia urinosa*: *Regimina* his insuper juncta, repentino impetu, sed brevi, humores turgesfacere & exagitare apta: *Vomitoria*, & interposita talibus aut subjuncta, largiora & crudiora *narcotica*. Horum certè omnium, quatenus *augere* potius & *compingere* statim Sangvinis, uti *calidiora* & citò *turgesfacientia*: vel partes statim jam obfessas crudeliter *concutere*, ut *vomitoria* succussiones atque torsiones, valeant, certè longè prudentissimum institui debere examen & æstimationem, antequam in usum trahantur, facile fuerit judicare.

§. LXXIII.

Sicut autem talia, paulò mágis seriâ pensitatione, à nemine agnoscentur verum usum & efficaciam ad ipsam *Inflammationem* habitura esse: Ita, cum hujus utique præcipua o-

mnibus

omnibus modis habenda sit ratio, oritur certè quæstio, quida-
 nam *vera* atque *fida efficacia* laudabile, *Inflammationibus*
 talibus opponendum, in suo penu habeat ars Medica. Per
 Divinam autem veritatem, & meritò abhorrendam omnis
 falsitatis, & quæ ad hanc jam ruit, certioris *incertitudinis*,
 quasi fomentationem & perpetuam propagationem, omnibus
 modis optandum videtur, ut unum e *duobus*, tandem, in arte
 nostrâ **DOCENDA**, cordatè & fideliter sepositis tandem dete-
 stabilibus verborum & affectatæ autoritatis lenociniis, decer-
 neretur, promeretur, & tandem firmiter constitueretur: Nem-
 pè I. quænam auxilia, sive methodi, sive medicamentorum,
verè, certò, ut *fidere* & insistere illis liceat, exoptatum talem ef-
 fectum præstent, ut in nostro exemplò, statim *coagulata In-*
flammatoriam internam iterum dissolvant, aut II. in quibus
 nihil solidæ spei aut præsidii collocare liceat, illa non solum
 potius fideliter indicarentur, sed etiam falsa de illis elogia
 omitterentur, & damnabilis ille, falsitates ornandi & propagan-
 di amor, suffocaretur. Ita enim demum, & non aliter, intelli-
 gere utique possent, honestò candore rerum suarum satagen-
 tes Philatri & Praxeos Candidati, imò multi sectatores, ve-
 rum nervum *Prognoseos* illius, quam partim experti propo-
 nunt, partim mercenarii Scribæ transcribunt, (quod ego
 Præses abundè verum reddere scio,) quod *Inflammationes vi-*
scerum, sint summi periculi, & maximè ambigui eventus: quam
 tamen statim, quando ad *Therapiam & Pharmaciam* excur-
 runt, magno numero nominum egregiorum remediorum: &
 inexcusabili illo scandalo credulorum & audacium Imperito-
 rum, etiam paratis statim *formulis* præscribendi: pessimâ pro-
 fecto fide passim iterum destruunt: nihil aliud nempè certè
 ita, ipso facto, inferentes, quam quod ingens copia præsto sit,
 adversus quodcunque tale periculum validorum auxiliorum.
 Aut, qui certè lapis est creberrimæ offensionis, si maximè pru-
 dentiores colligerent, affectibus talibus, propriè ut adeò pe-
 riculosis, tot auxilia quæri & opponi; labuntur tamen indè in
 alte-

alterum illud scandalum, ut inconditâ quantitate utendi, necessario planiori successui morbi, novas turbas obiiciant: è falsò nimirum illò, malæ fidei persuasionis præjudicio, quod utique in hujusmodi rebus non quærere solum sed etiam *invenire* liceat tale auxilium, quod præsentia pericula subigere non solum possit, sed omnino etiam, & nihil aliud, debeat. Undè nempè utique tales Artifices etiam conscientia suæ hoc incumbere arbitrantur, ut omni nisu & usu, talia, fortiter & affiduè, morbo opponant, non agnoscetes, quod ita longè familiarius positiva potius damna, nunquam autem auxilia, afferantur.

§. LXXIV.

Quam prolixè autem usitatas tales commendationes improbamus, tam brevis utique est numerus illarum rerum, quas verè *positivè* laudare sit integrum; è penu, inquam, & armamentario *artis*. Certè enim, cum omninò materialis constitutionis cùlpa in his casibus subsit; nempè tam *causa* staseos, interdum ad minimum obstructoria (interdum tamen ipsâ *expansione* universaliori, aut inæquali *impetu* viciniore, *impellendo*, *infarciendo*, *compingendo*, efficax) quàm *effectus*, à *morâ* detentionis (vel, sit ita, aliquando etiam à *materiali* quâdam re, incrassante,) *coagulatoria* densatio detenti sanguinis: non abludit utique à speculatione, quod *materialis* etiam aliqua efficacia *in contrarium*, locum invenire posset. Sed iterum dicimus, vanæ hîc sunt omnes *speculationes*, vanæ *verisimilitudines*; ne dum pluribus adhuc modis claudæ *opiniones*: dum potius constans *Experientia* reclamât, & irritam talem spem damnât. Quamvis etiam ipsa sana consideratio, rationem tam summæ difficultatis facilè invenire possit, in evidente illo *duplici obstaculo*; I. quod energia *materialiarum*, de reliquo (licet etiam sæpè falsò,) idonearum visarum sub *circulatione* sanguinis, nimium quàm *minimam* partem perveniat ad *portionem* verè affectam: Interim II. vel *quantitate*, vel etiam *qualitate* ita necessariò efficaciori offerenda, longè certius alias,

alias, imò alienas, *turbas* concitent in reliquo toto corpore, imprimis autem in toto *ordine, successu & eventu* simpliciore *Febrilis* motus.

§. LXXV.

Ne tamen tanquam *ἀσύνβολοι* abeamus, & in solis *privativis* potiùs, inutilium traditionum, quamvis & justis & necessariis, notis subsistamus, quàm aliquid etiam *positivi* afferamus; commeminimus, primo loco, subsidii illius quàm maximè vulgò ad bonam spem commendati, *missionis Sanguinis*. Hoc, qualia fata jam altero seculo expertum sit, per dubitationes, imò contrarias sententias; præter evolutionem multorum & variorum scriptorum, quadantenus invenire licet, sub aliquali jam numero & collectione, apud *Panizzam*, operosiore scripto, ad conciliandas sententias dissentientes, sui temporis celebriorum Medicorū, & ipsorum antiquissimorum. Interim laborat etiā hæc res sequentib9 difficultatib9 Practicis. I. Quod in Stasib9 Inflammatoriis, jam *coagulationē* adeptis, detractio talis, directū, adeoq; certiolem, usum & effectum non assequatur, adeoque post primum quasi principium, incertissimi sit usus. II. quod, si ipsa stasis *Inflammatoria*, præcipuam alteram prægressam causam, *lentorem* humorum, secuta sit, [ut ferè in *Senioribus*, aut aliis quoque *tussiculosis & Asthmaticis humidis* evenit] sanguinis emissio & imminutio, iterum vix efatu dignum promittat usum: III. Quod etiam, quantumcunque conveniens, tamen *promiscuè* & indifferenter, [exceptis forte *sensibilibioribus* scilicet] usitata nostratibus parva atque *parca* emissio, iterum nihil præstet. Unde prudentius certe *Sydenham*, *largiter*, imò ità etiam repetendo, venam *Pleuriticis* aperit: & scimus ejus rei multiplex Experimentū, *Pleuriticorum* s. *Peripneumonicorum* castrensium, simplici venæsectione, sub imperatâ etiam voluntariâ tussi, ità tanquàm in instanti liberatorum, ut tamdiu sanguis fluere permitteretur, donec sensum compunctionis amplius non perciperent. Sed sicut hoc ipsum cum prudentia utique imitari necesse fuerit,

ita subinde, neque locum illi esse, nec ullum probabilem usum, secunda maxime circumstantia præcedens, satis commonstrat.

§. LXXVI.

Tanto minus autem utique ullum locum habet, *transsumtio* hujus remedii ad *incertas*, & maximo jure dubias hujusmodi *Febres*; quæ vel veras *Inflammationes internas*, tardè demum exierunt: vel plane à talibus *alienæ*, & speculatione solùm illarum suspectæ magis, quam convictæ sunt. *Epidemicas*, inquam, & *malignas* quascunque; quas nempe ad solam *Hypothesin*, hujusmodi tentaminibus subiicere, temerarium profecto esset, eo magis, cum utique experti, etiam simpliciter contrarium commendent, ut ostensum est à D. D. Præf. in *Dissert. de Venesectione, us. in acut.*

§. LXXVII.

Undè quidem, quicquid etiam ab hoc subsidio sperare fuerit integrum, cum magnò judicio demum suscipere, absolute necessarium existimamus. Idem judicandum est de *Regimine largiùs diaphoretico*; imprimis *antè* aut *citrà* ventilationem Sangvinis idoneam. Cum enim hoc, *turgesfaciendo* potius & expandendo, turbas aliquas dare possit, imò ipsi etiam potius *incuneationi* fortiori inservire: quin ad accidentales etiam *anomalias*, & *compositam* indolem, Febri intempestivè inducendam, inservire: Est certè propterea etiam hinc necessaria prudentissima planè gubernatio & moderatio hujus ipsius auxilii.

§. LXXVIII.

Quod ipsum quidem etià verissimè valet in *Malignis contagiosis*, imò *Pestilentibus*: Ubi videlicet *duplex* notanda venit conditio; *primò*, quo intuitu & usu, regimina *largiter* diaphoretica etiam talibus verè usum præstent: *secundò*, quænam hinc *transsumtio* locum invenire possit, ad *Inflammationes*.

§. LXXIX.

Quamvis enim *regimen*, per plures horas *continuandum*, satis exquisitè sudatorium, *Pestilentibus* Febrilibus affectibus

tam secundum sanam rationem convenire possit; (ut sub tanto temporis spatio, miasma contagiosum, è totâ massa Sangvineâ successivè, & tandem penitus, expellatur) quàm secundum Experientiam, cujus aliquod Specimen consideratu dignum etiam occurrit apud *Sydenhamium*: Tamen nudis potius opinionibus, quàm vere fidis relationibus, illorum, minimè subscribere possumus, qui non solum sudationem *copiosam*, ut *Aquosam*, sed etiam per *remedia*, sangvinem graviter exagitantia & expandentia, *calidiora alexipharmaca*, & *acria diaphoretica*, cum ingenti impetu perpetranda, laudare in animum inducunt. Tantò minus autem profectò habent hujusmodi ausus locum in *Inflammatoriis veris* & sincerioribus, si illis, è falsa illâ *Hypothesi*, quod etiam *malignæ* tales & *Pestilentes*, verè & actu sint *Inflammatoriæ*, ita perperam transsumendo, adaptantur.

§. LXXX.

Undè quidem, uti dictum, habet omninò hîc usum non contemnendum, ipsa *Diaphoresis*; sed utique prudenter instruenda & regenda. *Tertium* locum deberent sibi utique vindicare medicamenta, *crasin* ipsam *coagulatitiam* verè propius *Resolventia*. Sed notandus hîc est, nimium quam verus defectus, & inopia talium, quibus hîc fidere liceat. Sanè vero illa, quæ vulgò jactantur *sangvinem coagulatum dissolvere*, vel vana hic sunt, vel ad *Inflammatorios* successus & effectus, sera & languida. Adhuc autem magis irrita, commenta talia, quæ è pessimâ opinione *Theoretica-Chymicâ* originem suam trahunt; quale est illud, de usu *Salium Volatilium* *Urinosorum* ad hujusmodi casus; Unicè desumptum, à plebejorum laudatione *Fuliginis* contrà *Pleuritidem*: quam nempe promissum illum effectum non aliter edere sibi imaginantur tales speculatores, quam quia *Sale Volatili* gaudeat. Quod tamen illi *formaliter* inesse, & non potius *acidum* subtile, non nisi sola ignorantia credere facit. *Spiritum Nitri dulcem*, non in usu solum, sed abusu veriùs, esse ad hujusmodi affectus,

fatis utique notorium est: sed nemini, quantum innotuerit adhuc, notum, quod hoc remedio unquam *aliter* aut *citiùs*, nedum *immediatè & directè, resolutæ* sint ejusmodi *Inflammationes*, quàm ibi, ubi tale remedium aut similia, planè non in usum tracta fuerunt. §. LXXXI.

Videtur autem aliquantò plus spei polliceri usus *Absorbentium, temperatissimis acidis, aceri, aut Citri saturatorum*; Unde quicquid ferè laudem qualemcunque meretur, in Potiunculis *Sylvianis*, est, conjunctio talium *acidorum* cum *absorbentibus*. Sicut etiam huic imprimis *crassi* probabiliùs tribuitur, quicquid ex veritate tribui meretur, *maxillis Lucii Piscis præpar.* quas sola *largior quantitas aceti* edomare potest, ad illam formulam subeundam.

§. LXXXII.

Sicut autem hoc genus remedii, justo usu, minimè temnendum est; Ita profecto etiam, nisi imperitis, non potest negligi, tempestivus & sufficiens usus *NITRI*. *Nitri* inquam, non quorumlibet è *Nitro separatorum*: (tam parum, quàm nemo prudens ausit, *corrosivum Spiritum Nitri* cum *Nitro, in substantia*, aut *Spiritum simplicem*, cum eodem *cretâ saturatum*, aut *plumbo*, aut *lapide Calaminari*, &c. rem unam eandemque facere). Quanquam autem, plus quam expedit, optimè notum sit, quod hîc speculationes *Experientia*, cassæ imò passim illi contrariæ, nullâ hîc *Experientiâ* potitis, varios scrupulos iniuciant; quales tamen in temerariis, etiam aliis ausibus non sentiunt: tamen provida & dextra usurpatio, longè aliter rem declarabit. Breviter, scire possunt tales, Nos, & imprimis me Præsidem, loqui, quæ sciamus, & credere, quæ viderimus: ipsis autem omninò integrum esse, abstinere,

§. LXXXIII.

Adhuc semel autem monemus, ut omni studio & prudentia abstinenceatur, non solum *in genere*, à qualibet intentione, *Febres* talium directè & simpliciter *oppugnandi*: sed etiam tantò magis ab omni hujus executione per temerarias *adstri-*
ctio-

Ætiones, & nimias *Narcoticorum* obtrusiones. Valet hoc imprimis de *vulgari Cortice Quinquinae*: ille vero quem propriè *Apinus* dilaudat, (quod certè, quicumque illum locum dehortatorium in *Vratislaviens. Observ.* protulit, non animadvertissè videtur,) dextro usu, *Peripnevmonicis* solidum beneficium pollicetur. Verbo: nisi *Inflammatio* curetur, non potest non solum *Febris* non tolli, sed *non debet* profecto hoc tentari: Facto autem illo, spontè hæc etiam cessat.

§. LXXXIV.

Nempè omninò necessaria cum sit *moderata Febris*; imò vero nec obsequatur etiam absolutè, *expugnationi*: Facilius autem, indecentibus ejusmodi conatibus *oppugnatoriis*, tum ratione *materiarum* & ipsius *Inflammatoriae staseos*, tum ratione *motus* sui æqualioris & ordinatioris, *perturbari* possit; Tantò magis autem *secretorie & excretorie tempestivæ* ejus *opportunitates* interverti: His omnibus autem ausibus, *fundo mali*, nempè ipsi *Inflammationi*, nihil nisi malè consulatur: proclivitas ejus in nudam spontaneam corruptionem *sphacelosam*, ita velut sibi ipsi suæque libertati relinquatur: & hæc maximè latâ atque amplâ via, illud *κτείνωδες* seu *lethiferum* irrumpat. Est profectò longè alia ratione ita considerata atque tractanda, tum *Febris*, hæc ipsa, tum diversissima illa *proportio*, quæ inter ejus, & *Inflammationis* ipsius, *Energiam*, ad *lethiferum* illum effectum intercedit.

§. LXXXV.

Sicut autem omninò cuilibet, has res prudenter æstimanti, facile dilucescit, quod utique hæc in *diagnosi*, verè tamen intellecta; nec minus in *Prognosi*, rectè æstimata, plana atque luculenta esse possint: ita intellectui non aliundè perverso, nihilo certè minus dilucescere potest, ex adverso, quanta subfit difficultas verè *Practica, artificiosæ* inquam, medicationis; maximè quidem *sine concursu naturæ* eximio, per *Febriles commotiones, secretiones & excretiones*, verè *tempestivas*: minimè vero etiam nimio *facilis*, certa aut *fida*, sit ARTIS potestas, etiam *cum iisdem*: quin potius, quic quid tandem adhuc boni eventus obtinetur, nimio plus debeatur his *Naturæ*, per *Febriles* hos actus, *assiduis* æque, atque quam maximè *opportunis*, operationibus, quam ulli sincero atque verè efficaci *artis* concursui.

Potuerant quidem aliqua latius memorari, ad *differentiam* horum morborum secundum *partes affectas* ipsas, & simul ipsius etiam ita diversi illorum, ante omnia dignoscendi æque atque prædicendi *periculi*, *discriminis*: cum autem ipsa *generalis* tractatio, propemodum modum *Dissertationis* excedere coegerit, suffecerit hanc partem pro virili absolvisse. Quapropter *Divinæ* bonitati, pro præstitâ nobis gratiâ, humillimas grates consecramus. S. D. G.

NOBILISSIMO
DN. CANDIDATO

S. P. D

PRÆSES.

Quoties antiquam virtutem & fidem adspicio, toties certè simplicitatem contemplor, imò veneror, quantumcunque etiam vilis videatur atque contemnenda, illis, qui Veritatis ipsius hoc esse, ut simplex sit, nempe una, vel non volunt intelligere, vel non possunt. Veritas autem simplex atque una, uti Dei Unius est primarium monumentum; ita in Naturæ quoque toto ambitu, non nisi simplicitate illam, citrà tricas & ambages, firmâ & inconcussâ, communivit. Non possum quin harum rerum recorder, quando Antiquissimorum Virorum mores & decreta mecum perpendo, quæ non in Virtutis solùm, sed corporis etiam, *Σεπαισία*, & sibi commendata habuerunt, & aliis præmonstrarunt atque præceperunt. Nihil jam Philosophis, Stoicis imprimis, laudandis, tribuam temporis: Habeo inter Medicos, quem producam, & sincerum simplicitatis assecclam commendem. Hippocratem intelligo: Quoties verò veritati cum simplicitate servientem, potiùs, quam fastum, & opinionum speciosa commenta, affectantem. Exemplo sanè esse potest, è multis, cura illa & observatio, quam gravissimo negotio, *Febri Homicidæ*, impendendam, posteritati commendat. *Capiti & visceribus*
refri-

*refrigerantia admoveere : Hordeum non excorticatum totum, ad potum adhibere : Liquori huic mel addere : Antè septimum nihil cibi nec sorbitionis exhibere : si sub his rebus septimus dies præterierit, & Febris remiserit, cucurbitam & betam permittere, milium non nisi lingendum dare : usque ad noni diei exitum : Tunc etiam in prandio milium concedere. Tandem lacte asinino restaurare amissas vires. Quis hodiè Medicus hæc audiat, sine fastidio ? quis sequatur, sine fastu : sine remediorum nobilissimorum & potentissimorum, copiâ & numero speciosorum, luxu potius, quàm usu. Fieri illa vult Hippocrates ad septimum ; Imò nonum : & ultrà. Splendidæ artis Mystæ, equidem cum omnibus splendentibus suis subsidiis, non modo non antè septimum, aut nonum, desinunt ; nisi, vel antè utrumque, mortuus sit patiens : sed sæpe non antè septimanas hujus numeri, sæpe quoque plures. Cui verò usui, dixeris, hæc pompa, dicta, facta, imò apparatus etiam speciosi ; si Hippocrates, cum simplici sua arte, æque ad septimum diem, ad nonum pervenit, quem illi sæpe non attingunt : Imo, si septimo die Hippocrati, μέθης, remissio Febris, occurrit, quam hi vel vigesimo, raro securam assequuntur : Nusquam autem omnium, tota tam pomposæ artis orchestra, ullo die citius, aut ullo sensu mitius, cedit aut decedit, salva vita, imò integra, morbus. Dudum autem est, quod ego idem dico : Dudum, quod ad simplicitatem provoco, ad Veritatem, ad Naturam, ab ipso Deo, ita, & non aliter, institutam. Quis enim non videt quod præcipuum Hippocratis artificium, non nisi in duabus rebus acquiescat, *abstinendo*, & *expectando*. Quis autem non experitur, quod, quam multa etiam isti alteri, & multiplicia, agitare fatagant, tamen reluctantes, nedum reclamantes, coërceantur atque con-*

strin-

stringantur, *expectare*. Sed non est quod hæc prolixè tecum loquar, NOBILISSIME CANDIDATE, qui rem non obiter inspectam, sed confido affatim perspectam, habes: quam irritum nempè sit conamen, & inane nomen, leges scribere & imperare Naturæ, : quam necessarium verò contrà in horas, obsequi illi, permittere sua, inservire: Nisi, tyrannide tentatâ, evertere potius rempublicam vitæ atque sanitatis humanæ, quam æquis non solum, sed divinis, legibus cum aliis vivere, intemperans animus contendere malit. Comprehendisti hæc, inquam, perspexisti, imò expertuses; Non solum Doctorum celeberrimorum, in illustri Regiomontanâ: sed hæc etiam Regiâ Fridericanâ Medicinam profitentium, docentium, atque facientium, gnavissimâ sectatione atque perceptione: Imo etiam assiduâ lucubrationibus, lectionibus, exercitationibus, & indefessis studiis, ipsiusque Praxeos experimentis veriùs, quam rudimentis. Quarum rerum specimen eximium, cum Dissertatione hæc, de MORBIS ACUTIS ex antiquorum & Hippocratis acceptione, publicè sistas, & honorem suum, atque præcipuam potestatem, Naturæ reverenter adferas: Ma-te Te esse Virtute, Doctrinâ, prudentiâ, peritiâ, jubeo, & FELICITER! acclamo. Perge ita, sub Divinæ benedictionis præsidio, prosequi, imò exequi non studium magis, quàm stadium: Ita Tibi honores in solidam dignitatem, Jura & Privilegia, in justum, & æquissimum emolumentum, certò cedent. Ego Tibi vitam & tranquillitatem perpetuam, omniumque egregiè cœptorum, exoptatissimum, magis ominor securus, quam solum apprecor, finem & eventum. Vale. Dab. Halis è Musæo viii.

Kal. Febr. MDCCIX.